



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 3. An & quanta aqua admisceri debet?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



cium, ac si essent in sua patria. Nec licet Latino in Ecclesia Græcorum inter Latinos sita celebrare in fermentato; quia hoc est speciale privilegium Græcis in ea Ecclesia concessum.

*Q. 3. An & quanta aqua admisceri debet?*

*Resp. I.* Ex præcepto Ecclesiæ aqua elementaris ante consecrationem vino admisceri debet. Constat ex Florent. supra cit. & Trid. sess. 22. c. 7. ibi: *Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut Aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia elatere ejus aqua simul cum sanguine exierit, &c.* Quod præceptum sub mortali obligat: quia licet materia sit in se levis, est tamen gravis ratione finis & significationis; nam apponitur aqua ad repræsentandam unionem populi fidelis cum suo capite Christo, ex *Trid. ibid.* atque etiam unionem humanitatis cum Verbo. Hæc tamen admixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti, ita Missa Roman. & Trid. solum dicit hanc esse præceptam ab Ecclesia.

*Resp. II.* Aqua vino miscenda debet esse modicissima. Quia 1. Ita Florent. statuit, & fert usus Ecclesiæ. 2. Ut ait Conc. Tribur. can. 19. sic melius significatur majestas Christi per vinum designata, & populi fragilitas per aquam repræsentata. 3. Hoc est tutius, nam (ut ait S. Thom.)



S. Thom.) vinum aliquando ita debile est, ut per aquam in magna quantitate, licet minore, facile corrumpatur. Sufficit autem una aqua gutta sensibilis; cum ad signum sensibile, & significationem convenientem sufficiat. Ad validam verò consecrationem necesse est ut major sit quantitas vini quàm aquæ, quia materia Calicis est solum vinum usuale. At tale non esset, si vinum aquæ non prædominaretur; & res mixta non esset potius vinum quàm aqua. Quare c. 13. *de celebrat. Miss.* dicitur perniciosus abusus, quòd plus aquæ quàm vini in Calicem infundatur.

*Resp. III.* Hæc mixtio necessariò fieri debet. 1. Tempore Missæ & in ipso sacro Calice, nam alioqui non esset Cæremonia sacra, nec sacram significationem haberet. 2. Ante Calicis oblationem, ob Ecclesiæ usum: unde graviter peccaret qui eam tunc omitteret. Quòd si illa mixtio ante Calicis oblationem facta non fuisset, fieri debet ante Calicis consecrationem, nam usque ad illam subsistit ratio & tempus præcepti ac significationis, non post; quia tunc prohibetur, & cessat tempus, ex Missal. Rom.

Q. 4. *An ut utraque hæc materia validè consecratur, debet esse moraliter præsens consecranti?*

*Resp. Aff.* Quia 1. ita traditio & praxis Ecclesiæ in facto Christi fundata; Christus enim